

Carpani Leone crs., *Testamento*, Pavia 11 novembre 1540, notaio Riva (della) Bernardino, in casa del prete Pellizzari Girolamo a Pavia, Porta Marenga.

Originale in: AGCRS, C 17.

Trascrizione: p. Maurizio Brioli crs.

«In nomine Domini nostri Jesu Christi Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo quadragesimo inductione tertiadecima die undecimo mensis novembris hora tertiarum vel circa in civitate Papiae, videlicet in sala superiori domus habitationis infrascripti r.di domini presbiteri Hieronymi Pelizarii testis sitae in porta Marenga Parochia Sancti Ioannis Domnarum ibique in mei notarii infrascriptorumque testium ab infrascripto domino testore vocatorum specialiter ac rogatorum presentia dominus Leo Carpanus filius quondam domini Deodati habitator Meroni plebis Incini Ducatus Mediolani sanus quidem Dei gratia mente corpore et intellectu considerans casum mortis quo cum hominis intellectum suffocat, ac illud Evangelii dictum: estote parati quia nescitis diem neque horam; nolens intestatus decidere, sed volens et intendens animae suae saluti bonorumque suorum dispositioni salubriter providere nuncupative testando, hoc presens suum ultimum nuncupativum testamentum et sine scriptis hanque suam ultimam voluntatem in hunc modum facere procuravit et procurat ac fecit et facit videlicet:

In primis quidem animam suam altissimo creatori nostro eiusque gloriosissimae Matri semper Virgini et omnibus sanctis recommendare cassavit irritavit et annullavit omnia testamenta omnes codicillos et suas ultimas voluntates ac donationes causa mortis hactenus per ipsum testatorem conditos conditas et factas et factos si quae condita et facta esse reperiantur licet dicat et protestet se nullum testamentum nec aliam ullam voluntatem hactenus fecisse, volens in omnem casum hoc praesens ultimum testamentum hancque suam ultimam voluntatem ceteris quibuscunque aliis, prevalere debere.

In primis disponit et ordinat quo legata relicta monasterio seu monialibus Sancti Thomae apud Comum per dominum Galdum avum testatoris et illa domini Marci Antonii patrui dicti testatoris de vino et frumento relicta monasterio seu fabricae Sanctae Mariae Angelorum Herbae esequantur et perficiantur per insfrascriptos heredes, si tempore eius obitusnon fuerint completa, addendo tamen legatis domini Marci Antonii modiam unam frumenti et brantam unam vini singulis annis prout conventum est cum legatariis causa et ratione prout patet intrsumento rogato per dominum Abel Meronum notarium Mediolani anno 1535 ut putat.

Item si alioqui reperiantur iuste eius vel eius bonorum creditores vult quod eis per suos heredes satisfiat sine lite et dilletione ex eius bonis mobilibus immobilibus seu pecuniis si adfuerint ad optionem suprascriptorum creditorum.

Item legat domino Iacobo Carpano eius patro (zio di Leone ndr) habitatori Vilincini supradictae plebis suisque heredibus ac successoribus illa bona immobilia quae reperientur esse ipsius testatoris tempore sui obitus in loco suprascripto Vilincini videlicet domum quae dicitur pastae in qua nunc habitat dominum Bernardum de ecclesia eius fictabilis, et residuum possessionis quae fuit nunc quondam suprascripti domini Marci Antoni. Reservato tamen, uno caligorium quae sunt in plano Incini ad arbitrium heredum pro uso et necessitate praedictorum.

Item legat suprascripto domino Iacobo silvam castanearum quae dicitur campironi quae est in territorio Letiae seu Crebennae supradictae plebis iuxta monasterius Sancti Salvatoris reservata tamen domo quae est contigua suprascripto templo monasterii cum

uno orto campellis et castaneis quae adiacent suprascriptae domui iuxta viam publicam.

Item legat suprascripto patruo agrum qui adiacet fornaci suprascripti domini Iacobi in territorio Meroni, qui tamen dominus Iacobus si haec bona fuerint alienata tempore obitus testatoris non habeat quaerere quicquam horum vice vel loco.

Item legat reverendo domino presbitero Vincentio Gambaranae (Gambarana Vincenzo crs. ndr) nunc habitatori Meroni a centum scutis intra quantum sibi placuerit moso non excedat dictum numerus, quod si acciderit ipsum mori ante solutionem tunc legatum intelligatur irritum nec possit transire ad haeredes.

In ceteris vero omnibus bonis suis mobilibus immobilibus iuribus actionibus et creditis universis presentibus et futuris ipsius testatoris ubivis sint et iaceant ac reperiantur instituit sibi eos ore proprio nominando heredes universales administratores exsequutores dispensatores et quidquid melius dici potest, ead mittendum exequutioni integrali omnis et singula ordinata et apposita per ipsum testatorem ut supra et inf infra reverendum dominum presbiterum Vincentium Gambarana supradictum dominum Bernardum Odescalchum (Odescalchi Bernardino ndr) attinentem testatir (?) mercatorem Comi por. par. filium quondam domini Dominum Iacobum Baliascam (Bagliacca Giacomo ndr) notarium et habitatorem Comi pr. par. filium quondam domini Bernardi attinentem ut supra habitatorem Herbae plebis Incini (Pieve d' Incino ndr), cum beneficium inventarii quantum eius placuerit, ita tamen quod non dividant hereditatem, sed eam simul et uniti teneant precatur. Cum onere expedendi tam fructus bonorum quam ipsa bona in usus pios videlicet erudiendis pueris pauperibus in sacris litteris et bonis moribus, ministrando tam alimenta quam alia necessaria iis qui voluerint religiones probatas ingredi tam masculis quam feminis maxime puellis orphanis quae sunt in hospitio Sanctae Mariae Magdalena Comi, dum tamen nulla pacta illicita interveniant, del id tantum fiat per puram ellemosinam, ac etiam collocandis puellis nubilibus quae vero sint egentes maxime in plebe Incini et civitate Comi et superinde in quibuscumque aliis operibus pietatis prout eis unitis videbitur ad minus tribus aut saltem duobus spectare ad maiorem Christi gloriam at anomarum salutem. Advertendo primum proximos testatoris, maxime sorores, dico illam quae nondum ingressa est religionem quamvis id proposuerit nomine Magdalena (Maddalena, sorella di Leone ndr), et alteram quae nuper ingressa est monasterium Sanctae Annae Comi nomine Febroniam (Febronia, sorella di Leone ndr) ac etiam illas quae sunt in monasterio Papiensi; quibus etsi in praesenti, non tamen plene, satisfactum est viribus omnibus vult subveniri per supradictos heredes, habito respectu ad id quod tempore obitus testatoris eis seu earum monasteriis communicatum fuerit, prout ex eis libris seu ipsarum vel superiorum probata fide cognoscant, cum quibus etsi nulla pacta intervenerint, vult tamen eis provideri iuxta earum indigentiam et patris voluntatem prout videri potest in eius testamento rogato per dominum Bernardum Vaccanum (Vaccano Bernardo ndr) notarium Comi anno ut credit 1530 seu 1531. Possint etiam haeredes instituti seu substituti et electi ut infra de dictis fructibus et bonis dispensare et disponere in suos liberos et descendentes, natis tamen in vita eorum, secundum necessitatem pro danda opera cultui divino et sacris litteris ut supra et pro ingressu religionis et pro copulandis matrimonio prout supra, et hoc quatenus aliunde non possit praedictis commode provideri iuxta eorum administrantes ut usp[er]a sibi ipsis et cuilibet eorum subvenire in necessitatibus suis ubi aliunde non possint sibi providere ut supra. Dum tamen adsit coherendum seu substitutorum consensus.

Eveniente autem casu quo dicto presbiter Vincentius nollit vel non possit adire hereditatem vel intraverit aliquod monasterium, ° quo casu non vult ipsum esse heredem ° (°° aggiunta dello stesso notaio ndr), tunc saltem reliqui eum consulant in agendis, quem rogo ita facere in visceribus charitatis, quod si omnino noluerit, tunc precor dictos coheredes aliquem alium eius loco adhibere sacerdotem vel saltem in eorum consiliis aliquem probum prout est parochianus Meroni vel alium habere presentem. Si vero alias

eorum coheredum respueret hereditatem tunc eius loco substituit dominum Primum ex Comitibus (Primo de Conti ndr) de Carella, filium quondam domini Alvisii, et illo deficiente illum quem uniti coheredes remanentes ellegerint de confratribus congregationis S. Gothardi Comi extra muros qui orphanorum habent curam aut ex his qui in plebe Incini probati viri se exercebunt circa curam supradictorum orphanorum et puerorum Meroni, nunc sacris litteris incumbentium, modo tamen in electione adsit vera coheredum concordia, quod vult semper esse quatuor vel tres aut si minus duos. Nec intendit hereditatem transire ad heredes eorum vel successores sed vult eos sibi invicem succedere. Et quod primo electi possint elligere alios modo quo supra et de personis de quibus supra qui secundo loco electi habeant tandem potestatem et modis de quibus supra si quae bona reperiantur remansisse non dispensata prout supra a precedentibus in ordine institutionis substitutionis et electionis ut supra. Quibus omnibus deficientibus vel uno tantum remanente, quia non intendit eos adire hereditatem si non saltem duo convenient, aut remaneant ii heredes et ut supra, tunc eorum loco instituit heredem et ut supra hospitale maius Mediolani, seu agentes pro eo et eius nomine, cum onere exequendi legata suprascripta ac subveniendi proximis testatoris et maxime sorsibus ut supra in reliquis vero ad arbitrium pro eo agentium. Prohibens quod hereditas et bona nec aliquid eorum possint pervenire ad manus alicuius alterius personae ecclesiasticae vel secularis suisque ordinis conditionis vel qualitatis quia intendit quod distribuantur et dispensentur per supranominatas personas et elligendas ut supra et demum per ipsum hospitale maius Mediolani, in usus et in opera prout supra singula singulis reffendo et respective etc. Quod reliquum est omnes precatur ore proprio singulos nominando, videlicet dominum presbiterum Vincentium (Gambarana Vincenzo crs. ndr), dominum Bernardum (Odescalchi Bernardino ndr) et Iacobum (Bagliacca Giacomo ndr) comenses, ac dominum Ioannem Ambrosium ut dignentur non mercedis corruptibilis sed Christi amore hoc onus subire, quibus libens impertitur non solum bona terrae sed etiam quidquid dignabitur dominus Jesus hac de causa largiri in colestibus.

Et tamen ets ipsius domini testatoris ultima voluntas quam vult iubet et ordinat valere et tenere in iure sui ultimo testamenti nuncupativi et sine scriptis, quod si non valet vel non valebit iure dicti eius ultimi, testamenti, quod valeat et valere debet iure codicillorum, quod si non valet aut valebit iure codicillorum vult quod valeat et valere debeat iure donationis causa mortis, me notario stipulanti nomine et vice et ad partem et utilitatem omnium et singulorum omnium et singulorum quorum interest et intererit aut in futurum quomodolibet interesse poterit, et si non valet vel non valebit iure donationis causa mortis vult quod valeat et valere debeat omni meliori modo via iure causa et forma quibus melius et validius valere tenere potest et poterit de iure. Et inde de premissis omnibus et singulis et quolibet istorum capitulorum de per se si erit ipse dominus testatori iussit et rogavit ac iubet et rogat per me notarium infrascriptum publicum confici debe instrumentum unum et plura et tot quod expediens erit.

Praesentibus:

R.do domino presbitero Hieronymo de Pelizariis (Pellizzari Girolamo ndr) cremonensi apostolico protonotario priore perpetuo commendatario prioratus SS. Cosmae et Damiani civitatis Cremonae habitatore Papiae in suprascripta porta Marenga parochia S. Ioannis Domnarum filium quondam magnifici domini Alexandri;

venerabili domino presbitero Ioanni de Bellonibus (Belloni Giovanni ndr) filio quondam domini Maffii mediolanense praerentialiter morum trahente in domibus prioratus S. Spiritus nuncupati de la Colombina Papiae;

ven. domino Othono de Parentibus (Ottone Parenti ndr) e Mortatia diaconi et clero papiensi filio quondam domini Ioanni Dominici habitatore Papiae in porta Pallacensi

parochia Sancti Quirici;

magnifico ... domino Ioanne Baptista ... Alexandrino publico ... legente in Gymnasio ticinense filio quondam magnifici doctoris domini Iacobi Mariae habitatore Papiae in porta Sancti Petri ad murum parochiae Sancti Sixti;

domino Ioanne Dominico de Cocco filio quondam domini Francisci cive et habitatore Papiae in porta Pallatii parochia Sancti Zeni;

domino Bernardo de Bosco filio quondam domini Ioanni Jacobi cive mercatore et habitatore Papiae in porta Sancti Petri ad murum parochiae Sanctae Mariae Canonicae Gualterii

omnibus asserentibus se cognoscere suprascriptum testatorem meque notarium infrascriptum et domino Ioanne Iacobo de Burgensibus filio quondam domini Iacobi Antonii habitatore terrae Mortariae Lumellinae comitatus Papiae inde testibus notis et idoneis et a prefato testatore vocatis specialiter et rogatis.

Ego Ioannes Bernardinus della Ripa quondam Domini Georgii genitus publicus papiensis imperialique et apostolica auctoritate notarius hoc instrumentum mihi fieri iussum rogatus traddidi et aliis occupatus per alium scribi feci, scilicet per ipsem testatorem (il testamento è quindi autografo di Carpani Leone ndr) et de eius manu et littera et in fidem promissorum hic me scubscripti in foliis tribus praesenti computato et illa additione in fine posita ubi est signum °° incipiente: quo casu, et finiente: heredem, quae cadit in secundo folio in quartadecima linea descendendo ante dictionem; tinc, ubi est signum dictum, quae non vitio sed calami velocitate obmissa erat».